

niam imitatio est. Imitamur autem, ait, aut solo numero, ut gestibus sicuti saltationibus exprimimus mores, representamus: aut sola harmonia, sicut cum instrumenta sonora personamus ad presentandum aliquid Molle, aut durum, aut piū. Vel Sometro, ut poëta heroicus, res, quas introducit, vel mistis ut qui canit Metra: probatque in problem. sect. 19. Metrum esse naturale, quoniam pueri cantu Mulcentur, quiescunt. Et hoc ideo quia inest numerus in cantu: numerus autem habet in se ordinem, ordo autem est familiaris nature: nam cum ordinatè bibimus, & Manducamus, & laboramus, naturam, viresque seruamus, & augemus. Inordinatè verò depranamus naturam, & de suo statu remouemus.

Rectè quidem Arist. natura nobis inesse imitationē, & cautus amorem docet: sed insufficienter. Dicendum enim erat, cur hominis natura istis delectatur actibus. Et cur alij aliter afficiuntur. Praterèa non rectè putat, quia in pictura ratiocinamur de viuis rebus, nos oblectari. Neque quia discimus. Nam si sic foret, potius in ea pictura oblectaremur, quæ ignotas res representat, docetque, non quæ notas. Item cum viuas res videmus, ratiocinamur de rebus magisquam in pictura. nec quia discimus artem: nam & qui picturam non discunt oblectantur pictura, ergo potius ex opificio est voluptas. Ars enim bona sensum boni efficit, qui est voluptas, ut dicemus. Praterèa dicimus, si quid pictum bene est, *ò quam pulchrum*, etiam si sit monstrum, aut cadauer sectum. Si verò non artificiosè de pictus est, si sit pictura pulcherrimæ nymphæ dicimus, *ò quam de formis*. Quapropter Arist. non attingit quæstionis solutionem. Cum verò Metra naturalia esse dicit, loquitur insufficienter. Neque enim cur naturalia. Similiter de cantu. At in problem. Meliora dixit, quia habet numerus ordinem, ordo verò naturæ amicus. Sed causam huius amicitie non explorauit, sed ab affectu ita tantū esse docuit praterèa cur inordinata quoque placent, non dixit, dicendum quidem. Nam si pictor exercitum amisso ordine fugatum ritè depingat, delectabit. Similiter aliqui sonis obstreperis oblectantur, &